



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXLVII. An si Spiritus S. à Filio non procederet ab eo distingueretur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

pater sit fons deitatis, hoc est, principium sine principio, filius potest esse principium de principio, sicut ritualus: & hac ratione solum procedit ab eo Spiritus sanctus.

Secundum testimonium. Secundo adducunt Basil. qui epist. 43. sic ait: Nullam secundum propriam notionem communionem

Explicatur. habet filius cum patre: si autem Spiritus ab utroque procederet, in notione spiritoris pater, & filius convenirent. Verum quis non videat, Basilium

34

Tertium testimonium.

Exponitur.

Tertio videtur Græcis favere Nazianz. orat. ad Episcopos, qui venerant ex Aegypto. quæ est 24. dicit enim: Omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate. cum ergo iuxta Græcorum phrasin pater sit causa Spiritus sancti; consequens est, filium non esse causam. Respondeo, eo modo loquendi Gregorium solum significare, omnia esse communia patri, & filio præter oppositas relationes causæ, & causati, itaque loquitur de causalitate, qua mutuo filius, & pater referuntur, non de ea, qua Spiritus S. respiciunt, ut perspicue ex Damasc. colligitur lib. 1. de fide c. 9. & 11. quem retulimus c. 2. huius disput. Imo ex eo probauimus, filium cum patre in eo convenire, ut spiraret Spiritum sanctum.

Quartum testimonium. Quarto proferunt Græci Damascenum lib. 1. de fide cap. 1. qui negat Spiritum sanctum ex filio esse.

Scholastici nonnulli cum sancto Thoma quest. 10. de potentia artic. 4. rejiciunt Damascenum. quod sequutus fuerit errorem Theodoretum. Verum cum Theodoretus negaverit Spiritum sanctum esse per Filium, ut cap. 1. retulimus, & Damascenus eodem capite dicat, Spiritum sanctum non esse ex Filio, sed per Filium communicari & manifestari,

35

Damasc. ab errore Græcorum defenditur, & exponitur.

& ipsum dici Spiritum Filij, non videtur Theodoretum concensisse. Porro neque Damascenum fuisse sequutum Græcorum errorem, qui affirmant, procedere quidem Spiritum sanctum per Filium, sed particula, per, causam non denotare, ut vidimus in hoc capite, inde mihi persuadeo, quia bene noverat Damasc. vim particulae, per, causalem esse: noverat etiam definitionem Concilij Alexandrini contra Theodoretum: quare excusari non posset à culpa, ut ipsum defendere conatur Clichouens in illud caput, quod memoratone deceptus id asseruisset.

Existimo igitur Damascenum non negasse, Spiritum procedere à filio in sensu Latinorum. Vocat enim Spiritum Filij, quod, nisi ratione originis, dici nequit, ut notavit synodus Alexandrina in epistola citata. Ait etiam communicari, aut manifestari per Filium, quod nisi ratione æternæ emanationis ab eo, verum non esset. Affert etiam exemplum solis, radij, & splendoris; & splendori comparat Spiritum, dicit autem splendorem per radium nobis communicari, non alia ratione, quam processione, ergo idem sentit de Spiritu S. Quare respondeo cum Bessarione c. 7. illius orationis, & cum Concilio Florentino sess. ult. in literis unionis, ideo negasse aliquos Patres Græcos (inter quos & tu enumera Damascenum) Spiritum esse à filio, quia putarunt has duas particulas,

Cur Græci negarint Spiritum esse à filio, & ex filio.

à, & ex, denotare rationem primi principij, cumque filius non sit primum principium Spiritus sancti, sed principium de principio, ne duo prima principia Spiritus sancti, & duas spirationes videretur asserere, maluerunt dicere per ipsum esse Spiritum sanctum, quam ex ipso. Quocirca etiam diceremus, Damasc. vidisse & legitime acta 7. synodi, quod non constet, nec probabile satis est, absque villo crimine erroris eo modo loquendi uti posset, quia in 7. synodo solum definiatur, Spiritum sanctum esse per filium.

Eodem sensu debet intelligi Maximus in epistola ad Marinum ubi de Patribus Latinæ Ecclesiæ dicit, eos non concedere, filium esse causam, hoc est, principium Spiritus sancti, intellexit enim causam sine causa, hoc est principium primum. Quod enim nonnulli Latini in Concilio Florentino dicebant, vel bailla in Græcis exemplaribus non haberi, optime conuincit Bessarion cillo 7. & sane nisi intellexisset Maximus, Latinos Patres eo sensu fuisse loquutos, manifestum eis mendacium imposuisset, nullum enim vel minimæ auctoritatis Latinorum Partum proferre posset, qui negaret Spiritum à filio tanquam à principio de principio procedere, sic etiam ego intelligere Theophyl. in illud Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum filio: & Euthymum in illud Ioan. 14. Egredietur pater: qui cum Damasceno negant, Spiritum sanctum à filio, aut ex filio procedere; quia nusquam negant per filium procedere; imo ibidem asserunt, dari per filium, & ideo esse, & dici Spiritum filij, quod de emanatione æterna intelligi, necesse est, neque enim ideo dicitur Spiritus filij, quia tempore taliter datur, sed quia ab æterno procedit. Adde etiam, quod hi auctores, verprelle ipsi notantur, ideo negant Spiritum ex filio procedere, ne concedantur duo principia Spiritus sancti: at Latini ab utroque, ut ab uno principio, Spiritum procedere, affirmant: quod si ab utroque ut à primo principio procederet, duo essent inaccessibiles, & consequenter duo principia. Putantes igitur hi Græci patres, particulam, & significare primum principium, & causam; modum loquendi Latinorum negarunt, ut supra etiam ex Bessarione, & ex Concilio Florentino notauimus: quod quamvis in eorum lingua verum esset; inurbane tamen modum loquendi Latinorum, qui utuntur his particulis absque villo periculo, notarunt: velleo præsertim, quod ex Græcis patribus permulti, quos c. 5. commemorauimus, utuntur particulis, à, ex, & de.

DISPUT. CXLVII.

An, si Spiritus S. à filio non procederet, ab eo distingueretur.

Status questionis. cap. 1.

Sententia Henrici, Scoti, & aliorum. cap. 2.

Sententia Henrici, & Scoti nihil periculi habet in filiis. cap. 3.

Vera opinio S. Thomæ auctoritate probatur. cap. 4.

Quibus rationibus hæc sententia à Durando, & Cæcilio, & alijs probetur. cap. 5.

Duabus optimis rationibus prædicta opinio confirmatur. cap. 6.

Diluminantur rationes prioris sententiae. cap. 7.

Corollaria præcedentis doctrinæ. cap. 8.

CAUTI

CAPVT I.

Status Questionis.

Non defuerunt Theologi, qui sequuti Gotsfredi sententiam quodlibet 7. q. 4. quem refert Scotus, existimauerint, questionem hanc ut pote ex hypothesi impossibili procedentem esse, superuacaneam, & inutilem. Cum enim ea, quæ sunt in Deo, sint summo modo necessaria: opposita erunt summo modo impossibilia. Huiusmodi autem est, Spiritum sanctum non procedere à filio, contra id, quod veritas nostræ fidei concedit. Quare cum ex impossibili sequatur quodlibet, hoc est, quælibet pars contradictionis: nimirum non est, si ex prædicta suppositione inferatur, Spiritum sanctum à filio nihilominus distinguendum & non distinguendum. Redditur igitur nostra disputatio inutilis, & infructuosa, dum nihil certi ex ea colligi potest. Cum Gotsfredo sentit Gregor. in 2. dist. 11. qu. 1. art. 2. verum (ut optime notauit Scotus loco citando) vtile admodum esse solet, ex suppositione aliqua impossibili argumentari, ut in propo-
*Quæ ratio-
na hypo-
thesi impos-
sibili si ar-
guitur.*
 2.
 Quæ ratio-
na hypo-
thesi impos-
sibili si ar-
guitur.

CAPVT II.

211

fugiant cogentur necessario concedere, processionem Spiritus sancti à Filio. Nam si ex eorum suppositione deducemus absurdum, & impossibile in Trinitate, manifeste ostendimus, eam esse absurdam, & impossibilem. Hic etiam modus arguendi in rebus aliis creatis vtilissimus esse solet metaphysicis, & logicis, ut ostendant rationem formalem eius, de quo disputant. Quando enim circumscripto quocunque alio, & aliqua ratione solum manente, sequeretur effectus, & ablata tolleretur, absque dubio est ea ratio formalis illius.

CAPVT II.

Sententia Henrici, Scoti & aliorum.

In hac questione sic intellecta sententia fuit Henrici quodlibet 5. qu. 9. quem postea sequutus est Scotus in 1. a. 11. q. 2. suppositione illa facta, nihilominus Spiritum sanctum sufficienter à filio distinguendum: quare contra Græcos, qui eam suppositionem admittunt, probari non posse, Spiritum sanctum esse eandem cum filio personam: cumque de facto concedunt Scotus & Henricus cum Latina Ecclesia, in filio esse duplicem relationem, alteram spirationis actiue, alteram filiationis: affirmant consequenter, sola filiatione Filium à Spiritu sancto sufficienter distingui: tametsi spiratione quoque actiua, tanquam opposita relatione, personaliter differat. Probari autem potest primum hæc sententia testimonio Anselmi in libro de processione Spiritus sancti ca. 2. ubi sic loquitur. *Aut uisat
probat
Scoti
& Henr.
sententia.*
 Hæc igitur sola causa pluralitatis in Deo, ut Pater & Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem, sed alij sint ab inuicem, quia prædictis duobus modis est Deus de Deo. Quasi dicat, hæc sola causa distinctionis est inter personas, quod Filius procedit generatione, & Spiritus sanctus processione: hoc enim est duobus modis procedere: atqui Spiritus sanctus procederet nihilominus processione, & filius generatione. etiam si Spiritus à Filio non produceretur: ea ergo etiam causa distingueretur ab eo personaliter. Pergit Anselmus: Nam quomodo Filius existit ex Deo nascendo, Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate naturæ, & processionis referuntur ad inuicem, ut diuersi. Et in fine capituli hanc vnicam assignat rationem distinctionis personalis inter Filium, & Spiritum sanctum, quod alter exit nascendo, alter procedendo: quandiu alia non ostenditur distinctionis ratio. Et capit. 4. inquit. Nam si per aliud non essent plures Filii, & Spiritus sanctus per solum hoc essent diuersi, scilicet, quia alter nascendo, alter existit procedendo.

Deinde confirmant suam sententiam prædicti authores duplici medio: tum ex ratione formalis principij constituentis: tum etiam ex pluralitate emanationum. Prior ratio est huiusmodi principium, quo res constituitur, id sufficienter eam constituit, ut distinguat etiam à qualibet alia, quæ eodem principio non constituitur: nam cum res constituitur sub ratione entis, constituitur etiam sub ratione vnus; ac proinde sub ratione indistincti à se, & distincti à quouis alio; hæc enim est, definitio vnus: per filiationem autem sufficienter constituitur secunda persona sub ratione personæ, & entis, ergo constituitur sub ratione vnus personæ indistinctæ à se, & distinctæ à quouis alia, quæ filiatione non constituitur: atqui Spiritus sanctus non constituitur nunc filia-
 4
 tionem.

Est autem vtilis admodum hic modus disputandi, & arguendi, ut intelligamus, quæ sit formalis ratio, & causa necess. distinctionis inter Filium, & Spiritum sanctum; utrum spiratio actiua, an filiatio. Nam si Spiritus sanctus non procedens à Filio ab eo non distingueretur; sequitur necessariam rationem distinctionis in filio nunc esse spirationem: si vero adhuc distingueretur, sequitur aliam esse rationem distinctionis: ablata enim causa distinctionis auferretur per locum intrinsecum distinctionis: ea vero manet, & quocunque alio circumscripto, adhuc manet distinctio.

Porro autem cum hæc suppositio, quam latini impossibilem esse dicimus, Græcis necessaria videatur, non erit inutilis disputatio, si ex illa contra ipsos probemus Filium non posse distingui à Spiritu sancto. Quod cum Græci asserere merito re-

cescent eam esse, aut periculosam in fide. Videtur namque confessioni fidei factæ in Conc. Florent. sessione vltima, & ad Græcos in prioribus literis missæ aduersari. Dicitur enim: *Nam credentes spiritum sanctum ex filio nequaquam procedere, necesse est ut intelligent spiritum à solo patre procedere, ac consequenter non esse filium: qui autem proferunt, spiritum ex solo patre persona procedere, hi proculdubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem nugantur diuina substantia, quod à ratione valde alienum pie creditur.* Hæc sunt verba, quæ in omnibus exemplaribus nunc habentur: prædicti tamen theologi, ut sententiam Scoti erroris, aut periculi infumulent, comminiscuntur nescio quam emendationem huius literæ, quam dicunt in omnibus codicibus (si Deo placet) esse mendosam. Sic igitur dicunt legendum esse: *Nam credentes spiritum sanctum ex filio nequaquam procedere, necesse est ut intelligent, spiritum ex solo patre procedere, ac consequenter eum esse filium, quibus verbis, si ea essent Concilij, sententia Henrici, & Scoti aperte damneretur.* Hanc vero emendationem necessariam arbitrantur: quia alio modo sensus illius loci constare nequit. Deinde arguunt contra Scotum, quia ex eius sententia sequi videtur partitio diuinæ substantiæ, quæ est contra fidem.

12. Verum hæc friuola sunt, ut Henrici, & Scoti sententia probabilis, nedum periculosa in fide censeri debeat. Quis enim non videat, ridiculum esse verba Concilij, quæ in omnibus codicibus Græcis, & Latinis eodem modo habentur, emendare, ut sententiam Scoti erroris infumulemus. Potius ipsi norandi essent, qui hanc emendationem tam leniter excogitarunt, cum aliunde facilis sensus ex prædictis verbis colligi possit: qui talis est. Cum Græci docent, spiritum sanctum non procedere à filio, consequenter docent, ex solo patre procedere: ac proinde eum (scilicet spiritum sanctum) non esse filium: ut ita Trinitatem personarum adstruant, quæ in quatuor Conciliis generalibus definitur: his enim Conciliis Græci in eo Concilio Florent. congregati ita deferebāt, sicut quatuor Euangelis. Non ergo infert Concilium Florentinum contra Græcos in verbis prædictis absurdum illud, quod nostri Theologi contra ipsos, & Scotum inferre contendunt, nempe eam (scilicet spiritum sanctum) esse filium, si à solo patre procederet, sed statuere potius, voluit, quod ipsi Græci secundum veram fidem adstruere deberent, nempe si spiritus non procedit à filio; saltem à patre procedere, & à filio distingui, ne Trinitatem confunderent. Contra Græcos vero infert Concilium absurdum hoc quia sequeretur partitio diuinæ substantiæ. Nam si filius non spiraret spiritum sanctum, non accepisset à patre virtutem spirandi: ac proinde nec totam substantiam, & virtutem patris: siquidem in substantia patris est virtus spirandi. Neque refert, si dicas, hanc virtutem non communicari spiritui sancto, nihilominus in eo non diuidi patris substantiam: quia cum virtus spirandi connotet personalem proprietatem, ei personæ nequit communicari, cui opponitur personalis proprietates, & relatio coniuncta illi, atque hoc fit absque vlla partitione diuinæ substantiæ: at quando proprietates, & relatio coniuncta virtuti spirandi, non repugnat, nec opponitur alteri personæ, non potest virtus illa ei etiam non communicari, nisi sequatur partitio di-

uinæ substantiæ. Ut enim constat ex cap. 2. præcedentis disputationis, omnia, quæ habet pater, filij sunt, præter ea, quæ mutuo opponuntur: eademque ratio est de spiritu sancto. Quare si aliquid præter ea, quæ relate opposita sunt, non esset commune personis, esset sine dubio inter ipsas diuisa essentia, aut aliquid essentiale plusquam ratione differret à relationibus personalibus, sicut dicitur in Conc. Florent. eadem sess. vlt. in quadam confessione fidei missa ad Græcos in altera quadam Epistola. Porro autem (inquit Concilium) ne in identitatem, coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, atque ipsam eandem substantiam re, & non sola ratione ab hypostasis differre, credere videamur, idcirco verbum ex filioque necessarium in symbolo diximus esse. Aliud vero, quod contra Scotum asserbatur, multo magis friuolum est: Nam partitio diuinæ substantiæ, quam cōtra Scotum prædicti Theologi deducere conantur, sequitur solum ex errore Græcorum: quia dicunt, spiritum sanctum non procedere à filio: at Scotus nihil tale affirmat; sed ipse, ceterique Scholastici hæc suppositione solū facta, quam impossibilem, & falsam existimant, sub conditione disputant, an spiritus distingueretur à filio; in qua sane questione, siue hoc, siue illud dicatur, non sequitur vlla diuisio substantiæ Dei.

Alia solent adduci ex Concilio Florentino, & doctrina patrum, quæ capite sequenti asseremus: ex illis tamen non potest sententia Scoti sufficienter erroris infumulari, tamen meo iudicio multo probabilior oppositam reddant.

CAPVT III.

Vera opinio S. Thomæ auctoritate probatur.

15. Sententia S. Thomæ in hoc articulo quam plures sequuntur Scholastici, ut multo probabilior, & doctrinæ patrum magis consentanea, amplectenda nobis est. Affirmat igitur Doctor Angelicus, ita distinguī spiritum sanctum à filio sola oppositione relatiua, ut si ab eo non procederet, vna & eadem esset persona vtriusque, habens duas relationes, quibus ad patrem referretur: intelligit duas rationes, sicut modo in parte sunt duæ, quibus ad duas personas refertur, paternitas nimirum & spiratio. Cum S. Thomas sentiat *Calet. Canar. & recēiores Thomistæ in hunc articulum eandem tradidit ipse 4. contra gentes cap. 24. & Ferrar. ibidem, Bona. in 1. d. 11. qu. 1. nam in corpore articuli plane concedit, quidquid rationes, sed contra, contendunt; inter quas quædam probant, si spiritus sanctus non procederet à filio, ab eo non fore distinguendum. Durand. etiam in eadem dist. qu. 2. præolus q. 1. art. 1. Marfil. in 1. qu. 1. 5. ad tertiam rationem; tamen hic author ea solum ratione id asserat, quia in eo casu filius non esset filius; & ita spiritus sanctus à filio nō distingueretur, in quo videtur suppositionem tollere, & superuacaneam facere disputationem, atque ex parte eam Nominalibus, qui priorem sententiam sequuntur, conuenire. Ceterum, ut dicebamus cap. 1. controuersia procedit suppositione facta, & eadem permanente, si reuera esset filius genitus in diuina natura, sed ab eo spiritus non procederet, sicut Græci fabulantur.*

16. Hæc opinio probari potest primum auctoritate Patrum, qui affirmant, sola oppositione relatiua personas posse distinguī, hoc est, relatione causæ, & causati, ut loquuntur Græci: sic enim sequitur,

Conc. Florent.

14.

Scotus.

15. Scholasticorum auctoritas.

16.

Auctoritas Patrum affirmantium personas posse distinguī relatione relatiua distinguī.

quitur, ablata oppositione, distinctionem personalem à medio tolli; hæc autem oppositio non esset, si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ut manifestum est. Contra vero doctores prioris sententiae, ut defendant, ea facta suppositione Spiritum sanctum à Filio distinguendum, probare nituntur, non solum oppositionem relativam esse causam distinguendi personas, sed aliunde possumus distinguere. Excepit Gregorium, quem cap. 2. commemoravi, hic enim non solum docet, eo casu Spiritum sanctum distinguendum à Filio, verum etiam nunc de facto non distinguere Filium à Spiritu sancto spiratione, sed filiatione, à qua sententia non longe abest Scotus, ut colligitur ex priori ratione illius, qua probat distinguere Filium à Spiritu sancto filiatione, qua substantialiter constituitur, nec posse ab eo distinguere aliqua ratione adveniente ipsam constituto, cuiusmodi esse videtur spiratio. Causam igitur distinctionis inter personas solum esse oppositionem relativam, probatur primum testimonio Nysseni, quod citat Beilartion cap. 6. suæ orat. ex libro ad Ablabium; ubi de divinis personis sic ait. *Eam quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab alteroprehendimus: nimirum, eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, & ex eo, quod ex causa est. Vbi Nyss. ex oppositione relativæ secundum causam, & causatum ait, oriri solum, & credi distinctionem inter personas: quomodo ergo Scotus, & alij doctores prioris sententiae, etiam ex disparatis relationibus, ut ipsi loquuntur distinctionem inter personas defendere conantur? Adde testimonium eiusdem Greg. Nyss. lib. 1. contra Eunomium, quem præcedenti disp. c. 6. allegavimus, ubi per hoc solum distinguit Spiritum à filio, quod per filium manifestatus est: id vero de æterna processione intelligendum esse, & particulam per eo loco causam significare, ibidem demonstravimus. Deinde refertur pro hac sententia Boetius lib. de Trinitate, ubi ait relatione in Deo multiplicari Trinitatem. Verum cum id non dicat de relationibus oppositis, non possumus inde contra Scotum argumentari. Dicere enim potest ille, personas multiplicari etiam relationibus disparatis. Postremo solet allegari receptissima Theologis propositio, quæ Anselmo tribuitur, in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. libro enim de processione Spiritus sancti cap. 3. postquam de unitate essentiae, & pluralitate relationum loquutus fuerat, sic ait: Sic ergo huius unitatis, & huius relationis consequentia se contemperant, ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transseat ad eam, in quibus prædicta simplicitas sonat unitatis, nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur: quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdat, quod suum est, nisi ubi obstitit unitas inseparabilis. Verum Anselmus nihil nobis favere potest, si attente legatur in eo capite, & sequenti, non enim putat ipse, solum esse pluralitatem & distinctionem inter relationes oppositas, sed quia duplex est modus processionis, in quorum quolibet est sua oppositio, non quia quilibet modus processionis alteri opponatur. Verbis enim proxime præcedentibus, sic explicavit hanc relationis oppositionem: Supradicta vero relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supra dictis duobus modis Deus ex Deo est, prohibet, patrem & Filium, & Spiritum sanctum de invicem dici, & propria sin-*

gularum aliis attribui. Dixerat autem capite præcedenti, hanc esse causam distinctionis inter Filium, & Spiritum sanctum, quia alter nascendo, alter procedendo existit: nec carens distinctionem inter eos esse dixerat, quatenus unus ab alio procedit: imo in illo c. 3. post medium dicit. Cum autem apparebit, quia Spiritus sanctus est de filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse filius Spiritus sanctus. Denique cap. 4. eiusdem libri probat, Spiritum sanctum procedere ex Filio hac ratione. Spiritus sanctus procedit ex toto Deo Patre, qui est idem Deus cum Filio, & Spiritu sancto: ergo Spiritus sanctus procedit à Filio, vel Filius à Spiritu sancto: Filius autem non potest à Spiritu sancto procedere, ut ipse probat: ergo Spiritus sanctus est, qui à Filio procedit.

Contra hanc vero rationem sibi obicit Anselmus hoc modo. Si propter unitatem naturæ sequitur, aut Filium procedere à Spiritu sancto, aut Spiritum sanctum à Filio, eo ipso quod Spiritus sanctus procedit à Patre Deo, propter unitatem naturæ, similiter liceret argumentari, & ex identitate naturæ, colligere identitatem productionis utriusque personæ hac ratione. Si idem est Deus Pater, & Filius, sequitur Spiritum à Filio procedere, si à Patre procedit: similiter liceret inferre, si Filius, & Spiritus sanctus sunt idem Deus, & Filius generatione producit; Spiritus sanctus etiam generatione procedet. Respondet autem his verbis: Ad quod ego, habent utique à Patre esse Filium, & Spiritum sanctum; sed diverso modo, quia alter nascendo, alter procedendo, ut alius sint ab invicem per hoc, quod dictum est, & ideo cum nascitur unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit, & ideo non habet hic unitas illa vim consequentiam, quia pluralitas obviat quæ ex naturæ unitate nascitur, & processionis. Nam si per alium non essent plures, Filius, & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi. In quibus verbis duo sunt observanda, unum est, quo pacto Anselmus non solum oppositionem relationum dicat obviare unitati in divinis, & consequenter illius; sed etiam pluralitatem. Alterum est, Anselmum existimasse, sufficientem esse causam distinctionis inter Filium, & Spiritum sanctum relationem filiationis, quam Filius habet naturæ, & generationis, & relationem processionis, quam Spiritus sanctus habet processionis suæ; etiam si alia causa non esset, nimirum etiam si non esset oppositio relativæ inter eos, spiratione activa in filio existente, & passiva in Spiritu sancto, quæ est ipsa Scoti sententia. Illud igitur commune axioma, quod tribuitur Anselmo, in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, nullum in eius authoritate fundamentum habet.

CAPVT V.

Quibus rationibus hæc sententia à Damasceno, & Caietano, & aliis probetur.

EX illo axioma, quod Anselmo tribuitur, & proxime referebamus rationem deducit Caietanus, & Caietanus in hoc art. pro hac sententia, quam capite 4. retulimus, hoc modo. Cū in Deo sit substantia, & relatio; ratio distinguendi, & constituti personarum semper tribuitur relationibus, non substantiæ: cumque relatio aliquid habeat commune cum absoluto, & aliquid habeat peculiare in quo tantum relatio; ratio distinguendi, & constituti

Primum
Nysseni testi-
monium.

17.

Secundum
eiusdem.

Tertium quod
ex Boethio
refertur, non
est efficax.

Quartum
ex Anselmo
allegari solet,
sed uno fun-
damento.

18.

tribuitur relationi secundum suam propriam rationem: propria autem ratio illius est ordo ad terminum, quare proprium erit illius constituere, & distinguere aliquid per ordinem ad aliud: nam quidquid absolute constituitur, ad se constituitur: ergo si relatio distinguit in Deo personas, quatenus relatio est, & secundum suam propriam rationem; efficitur, ut tantum distinguat ab opposita persona. Cum enim debeat eadem ratione distinguere, qua constituit; si constituit ad aliud, nempe ad correlativum, distinguet etiam tantum ab eo. Quo fit, ut videm sit distingui relate, & distingui per relationem, ut relatio est: utroque autem modo ab opposito tantum distinctio fieri potest. Ex quibus omnibus recte sequitur, patrem paternitate solum à filio distingui, & filium filiatione à solo patre, & utrumque à Spiritu sancto sola spiratione. Quocirca si Spiritus sanctus à filio non procederet, ab eo non distingueretur: quia nulla in eo distinctionis forma maneret.

Hæc doctrina tamen subtilis videatur, firmum tamen fundamentum non habet. Nam relatio etiam secundum rationem suam propriam potest distinguere ab alio, quam ab opposita relatione. Primo, quia generalissimum huius prædicamenti distinguitur ab aliis novem per modum intrinsecum, ad sibi proprium: illis autem non opponitur, sed quasi per disparatam (ut aiunt) rationem ab aliis distinguitur. Secundo intra prædicamentum non tantum differunt, quæ sunt opposita, sed etiam multa alia. Paternitas enim non solum differt à filiatione, sed etiam à similitudine, & aliis. Tertio, ut Caietanus fatetur, si Spiritus sanctus non procederet à patre, ab eo nihilominus distingueretur: ergo iam paternitas distingueret patrem ab alio, quam ab opposito relatio, & processio similiter. Quarto denique relatio secundum propriam rationem relationis terminatur ad absolute, non ad relatum, nisi in divinis, ut disputat. 159. capit. 6. obiter notabitur: ergo secundum propriam rationem relationis, non tantum distinguit à relatione opposita, sed etiam ab absoluta, ad quod refert. Quare sententia S. Thomæ aliter nobis probanda est: & ex eodem communi principio Theologis satis probato. In divinis omnia sunt vni, vni non obstat relationis oppositio, alia ratione explicata confirmanda.

Alia ratione hanc sententiam confirmat Durandus; quæ licet paucis mutatis recte probet, ut sequenti capite videbimus; quia tamen supponit quædam in sententia illius, quæ vera non sunt; ideo in præfati capite eam referre libuit. Arguit igitur Durandus in hunc modum: de facto sunt in patre duæ relationes disparatæ, paternitas nimirum, & spiratio; & tamen non constituunt duas personas: ergo si Spiritus sanctus non procederet à filio, processio & filiatione non constituerent, & distinguerent duas personas; quia eodem modo disparatæ, non autem oppositæ essent, sicut nunc sunt spiratio, & paternitas. Admonet tamen Durandus quæst. citata numero 16. huic rationi supponendum esse id, quod ipse docuit in 1. d. 1. quæst. 2. spirationem activam, & paternitatem realiter distinguere: nam ipse in 1. d. 33. qu. 1. distinctionem omnem ex natura rei, & aucte intellectum, quam ponat esse inter illas duas relationes, appellat realem: sic enim maiorem vim habet ratio illius: & quidem adversus Scotum efficax etiam esse potest;

quia cum ille concedat distinctionem ex natura rei inter has duas relationes, facile contra ipsum probari potest, eam esse realem, ut supra disp. 46. cap. 5. ostensum est.

Sed respondebit aliquis ex doctrina eiusdem Durand. in prim. distinct. 13. quæst. 2. numero 22. ideo per spirationem activam non constitui personam distinctam à patre, quia spiratio est communis relationi duabus personis. At contra hoc videtur esse, quod in eo casu, quod Spiritus sanctus non procederet à filio, spiratio non esset communicabilis, & nihilominus non constitueret diversam personam, sed eandem, quam constitueret paternitas.

Scotus vero aliter occurrit huic argumento. Respondet enim in 1. dist. 2. parte 2. quæ est quinta in ordine ad secundum, & dist. 27. quæst. 2. citata ad secundam rationem, non oportet esse tantam distinctionem inter principia activa productionis, quanta inter res productas debet esse, quia impossibile est eandem rem produci duabus passivis productionibus, cum tamē idem agens duabus productionibus diversa producere possit, idem enim homo producit hominem, & opus artis.

Sed Scotus urget Durandus hoc modo. Quamvis idem suppositum possit duabus productionibus duo diversa producere, & idem non possit esse productum diversis productionibus; id tamen solum contingit, quoties suppositum non constituitur relatione producentis: si tamen suppositum relatione constitueretur, manifeste colligitur fore, ut duplici relatione disparata producentis constitueretur duplex suppositum: siquidem duplici etiam relatione disparata producti constitueretur duplex suppositum in eo casu, quo Spiritus sanctus à filio non procederet. Nam quod ad illum effectum attinet eadem ratio videtur utriusque relationis, producti videlicet, & producentis.

Alij vero, inquit Durandus aliter respondent: dicunt enim ab uno quidem supposito agente posse esse duas productiones substantiales; non tamen posse esse duas substantiales productiones eiusdem producti: quare si circa idem suppositum duæ productiones versantur, altera saltem debet esse accidentaria: veluti idem homo producit alium substantialiter, & instruit ipsum aliqua disciplina: duæ substantiales productiones in idem suppositum terminari non possunt: vocatur autem productionem substantialem, qua aliquid secundum substantiam producit. Verum eodem modo reninci possunt, qui ita respondent. Nam argumentum factum non contredit probare, ab eodem agente non posse esse duas productiones substantiales, neque etiam duas esse posse eiusdem subiecti producti, sed æquam esse rationem relationum producentis, & producti, ad constituendum suppositum, ut si duplex relatio producti disparata sufficit ad constituendum duas personas; sufficiat etiam duplex disparata relatio producentis.

Verum enimvero hæc ratio Durandi hoc modo solum procedit in eius opinione qua supponit relationem spirationis, & paternitatis re ipsa distingui. Nam si sola ratione distinguuntur; facilis ratio reddi potest, ob quam paternitas, & spiratio non constituent duas personas, quamvis sint relationes disparatæ: quia nimirum non distinguuntur realiter: hæc enim distinctio necessaria

Contra Durand. rationis obiectio.

24.

Argumento Durand. occurrunt Scot.

Scotum urget Durand.

Argumento Durand. aliter respondent alij.

25.

Eorum responsio revincitur.

In quo distinctio ratio Durand.

26.

saria est inter personas, contra vero filiatio, & processio, quamvis solum disparatæ relationes sint, constituunt duas personas, quia realiter distinguuntur. Caterum simili fere ratione alia via, eaque efficacissima, vrgere possumus Scotum, nostramque sententiam perspicue probare, vt sequenti capite patebit.

CAPVT VI.

Duabus optimis rationibus prædicta opinio confirmatur.

Prior ratio.

Cum satis manifestum sit ex disputat. 120. cap. 4. 5. & 6. disparationem actiuam, & paternitatem ratione sola differre; ratio Durandi hoc modo formari debet. Duæ disparatæ relationes producentis, quales sunt, spiratio, & paternitas non constituunt duas personas; nec in eo casu, quo Spiritus sanctus à solo Patre procederet duas personas constituerent, quia cum inter se non opponantur, sunt idem secundum rem, & sola ratione differunt: ergo duæ disparatæ relationes producti, quales sunt filiatio, & processio, non constituerent duas personas, si Spiritus sanctus à solo patre procederet: quia eodem modo essent idem secundum rem, sicut sunt relationes actiuæ: eo quod nullo modo essent oppositæ. Quare sicut idem suppositum nunc generat, & spirat; idem etiam generaretur, & procederet.

Cuius Scoti responsio occurrunt.

27.

At licet aliquis cum Scoto filiatio, & processio in eo etiam casu distinguerentur realiter, quia tunc essent duæ emanationes distinctæ realiter, altera per intellectum, altera per voluntatem; ex duabus autem emanationibus necessario oriuntur duæ relationes producti distinctæ realiter, quibus respondere possunt duæ relationes in agente, formaliter solum distinctæ in sententia Thomistarum. Verum cum eadem ratio debeat esse relationum, quæ ex emanationibus resultant, & ipsarum emanationum, quæ nihil aliud sunt, quam relationes in via, & ab ipsis relationibus sola ratione differunt; quis quæso affirmare audeat, aut Scoto inconsiderate concedat, in eo casu fore duas emanationes distinctas realiter absque vlla oppositione, solum quia disparatæ essent: eam modo non sint duæ relationes producentis distinctæ, etiam si disparatæ sint? Idem igitur argumentum fieri potest de emanationibus, quod de relationibus producti, & producentis faciebamus, hoc modo. Si tunc in Patre essent, sicut nunc sunt duæ relationes producentis disparatæ, non tamen constituerent diuersas personas, quia cum non opponeretur, essent idem realiter: sequitur non futuras duas emanationes, nec relationes producti realiter distinctas, quia etiam non opponerentur: nec enim esset maior repugnantia inter emanationes, & inter relationes producti, vt non essent idem, quam inter relationes producentis, oscitanter igitur nonnulli Thomistæ Scoto concedunt in eo casu futuras duas emanationes distinctas realiter, quo sane admissio, vix defendere valent non futuras duas relationes producti, & duas productas personas.

Quomodo se haberent in eadem persona relatio spirati, & entis.

Quare cum probatum sit, in eo casu futuram vnā, & eandem personam Filij, & Spiritus sancti cum duplici relatione producti, geniti videlicet, &

procedentis solatione diuersa; explicandum est, quo pacto illæ duæ relationes, & emanationes nostro modo intelligendi se haberent. Nonnulli putant, ita tunc processuram illam personam, sicut productur opus artis, voluntate nimirum, & intellectu artificis. Verum quia opus artis non elicitur à voluntate, & intellectu, sed eorum solum imperio, & directione fit; hoc exemplo non recte explicatur emanatio illius personæ: ab vtraque enim potentia proxime, & substantialiter eliceretur. Quare melius compararetur illa persona operationi intellectus, & voluntatis, si eadem omnino esset in nobis, hoc est, si vtraque potentia eundem actum, & operationem æque primo produceret: tunc autem sicut nullus esset ordo realis inter intellectum, & voluntatem in operando, sic etiam nullus esset inter illam personam diuinam, quatenus esset Filius, & eandem, quatenus esset Spiritus sanctus: quia cum ea ratione, qua Spiritus esset, non procederet à verbo producto per intellectum, nullum ordinem realem cum illo haberet: sed in eandem personam vtraque ratio conueniret.

Altera ratio est huiusmodi: quæcumque in Deo non repugnant esse, in eo necessario sunt; Deo namque nihil potest adesse & abesse, sed quæ ei reuera conueniunt necessario conueniunt: quia de causa, sicut dici solet, in æternis idem est, esse & posse: si autem filius, & Spiritus sanctus non opponerentur, non repugnaret, vtrumque; esse eandem personam secundum rem: ergo reuera esset: si autem filius non produceret Spiritum sanctum, cum non opponeretur: ergo non repugnaret esse idem suppositum cum spiritu sancto; ac proinde necessario essent vna & eadem persona secundum rem. Porro autem nihil ob stare, si Spiritus sanctus non opponeretur filio, quo minus essent idem suppositum secundum rem, hac ratione probatur, quoniam in diuinis non est assignanda distinctio, & pluralitas, nisi quando, & inter quos fides eam constituit, vel ratio ipsa, manifestæque repugnantia demonstrat: aliunde tamen temere assignaretur distinctio secundum rem: atqui in eo casu, quo Spiritus sanctus non procederet à filio, nec fides docet futuram distinctionem, nec ratio vllam manifestam repugnantiam demonstrat: ergo temere diceremus, Filium, & Spiritum sanctum tunc etiam distinguendos secundum rem. Primum sane fides id non docet. Nam quamvis nunc certum ex fide sit, Filium, & Spiritum sanctum distinguere, tamen fides non docet nunc actum eos distinguere filiatione, & processione, sed id in opinione positum est: ergo nec de fide certum est, tunc distinguendum Spiritum sanctum à filio: quia tunc solum maneret filiatio, & processio. Tum etiam nulla ratio, aut repugnantia demonstrat, filiationem, & processionem tunc se ipsis distinguendas, vt manifestum est; rationes enim Scoti facile inferius soluentur, quinimo ratio continet, tunc futuras omnino idem; quia, cum inter illas nulla esset oppositio, nulla etiam esset repugnantia, nihil ergo ob stare, quo minus possent esse idem, si quidem non repugnat, spirationem adiuam, & paternitatem, seu filiationem disparatæ, quod idem, cum tamen sint relationes disparatæ, quod autem in Deo non repugnat esse idem; ea necessario idem, tunc idem esset persona filij, & Spiritus sancti, tantum abest, vt distinguerentur.

CAPVT

Reliquum est, ut rationes allatas in 2. cap. prioris sententia diluamus. Est in primis testimonium Anselmi, qui meo iudicio, si recte considerentur, quæ capit. 4. diximus, manifeste illam Scoti sententiam videtur tradidisse, vel quia filium & Spiritum sanctum sufficienter mutuo discernit diuersis relationibus, & modis procedendi, etiam non oppositis, quas Scotus disparatas relationes appellauit, vel certe, quia id voluit Græcis concedere contra quos diserebat, volens aliunde probare Spiritum sanctum à filio procedere: ille enim lib. illo processione Spiritus sancti c. 2. sub finem ficit: *Filius autem interim ut aliam causam dicam, quoniam nondum constat, quod Spiritus sanctus de illo sit, & procedat, ideo non est Spiritus S. nec Spiritus sanctus est filius, quia filius nascendo habet esse de patre, Spiritus sanctus vero non nascendo, sed procedendo.* Quibus verbis asserit, se pro causa dictionis inter filium & Spiritum sanctum assignare diuersum modum procedendi, interim dum alia causa non ostenditur volens hoc Græcorum sententiam differre. Sed 3. capit. post medium, postquam eundem modum distinctionis explicauit, inquit: *Cum autem apparebit, quia Spiritus sanctus est de filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse filius Spiritus sanctus, & Spiritus sanctus filius.* Ego tamen multo commodius existimo, Græcis id non concedere: imo ipsos in eas angustias cogere, ut sola oppositione distinctionem inter personas cogitari possent, fateantur: licet enim efficax contra ipsos sumitur argumentum ut concedant, Spiritum sanctum à filio procedere, nisi Trinitatem personarum negare velint. Quocirca Scoti & aliorum opinio vnicuique efficax argumentum, quod Latinis contra Græcos esse solet infirmat, & nullius momenti efficit.

Ad priorem rationem deductam ex principio constitutente respondet Caietan. & Ferrar. locis citatis in 4. capit. eodem principio, quod res constituitur, eodem etiam distinguitur; quod res principium constitutens, non est relatio: nam si sit relatio, solum distinguitur ab opposito, ut ex mente horum authorum notauimus supra cap. 5. Hæc tamen solutio mihi non probatur: tum quia cap. illo 5. ostensum est relatione posse aliquid distinguere non tantum ab opposito relatiuo, sed etiam ab aliis. Tamen etiam, quia licet verum esset id, quod docent Ferrar. & Caiet. Scoti argumento satisfacere nequit: arguit enim Scotus hoc modo. Quidquid constituit aliquid in ratione entis, constituit in ratione vnius, ac proinde in ratione indistincti à se distincti à quouis alio, quod eodem principio non constituitur: ergo eodem, quo res constituitur à quouis alio, quod eo principio non constituitur, debet distinguere: quid ergo refert, si Scoto respondeamus, non omne principium constitutens aliquam, eam ab aliis distinguere, nisi sit absolute: siquidem ratio illius in vniuersum probat hoc modo. Omne quod constituit aliquid in ratione entis, eo ipso, qualecumque illud sit, constituit etiam idem in ratione vnius, ac proinde in ratione indistincti à se, & distincti à quouis alio: quod illo non constituitur: sed filiatio constituit filium in ratione persone, ergo in ratione vnius indistincti à se, & distincti à quouis alia, quæ filiatio non constituitur: qualis est persona Spiritus sancti. Consequentia est euidentis sub legitimi

Vasquez in 1. part. Tom. 2.

ma forma syllogistica; minor negari non potest: maior est verissima in vniuersum de omni constitutente etiam relatiuo: nam si constituit in ratione entis relatiui, constituet in ratione vnius distincti à quouis alio.

Alij vero dicunt, idem debere semper esse principium distinguens, & constitutens: & nunc filium distinguere à Spiritu sancto filiatio, quia ea constituitur: at in eo casu, quo Spiritus sanctus non procederet à filio, ab eo non distinguendum, quia tunc esset alia filiatio: nunc enim habet vim spirandi, quam tunc non haberet. Hi tamen, dum aliquid noui videntur excogitasse, incidunt in sententiam, quam non probant. coguntur enim dicere, non esse idem principium constitutens, & distinguens: atque filiatio filium constituit, sed spiratione distinguere: id quod facile probari potest.

Primo, nam filius in ratione filij, & secundæ personæ constituitur proprietate, quæ soli ei conuenit: hæc autem est filiatio, ut filiatio tantum, non considerata ratione spirationis, aut spiratiue virtutis: quoniam proprietates constitutens vnam personam non includit in suo conceptu formaliter id, quod alteri commune est: virtus autem spiratiua communis est: ergo illa formaliter non pertinet ad rationem principij.

Secundo, quoniam si filiatio, quatenus habet virtutem spirandi nunc distingueretur filius; potius deberet distinguere, quatenus illam habet actu sub relatione spiratoris, quam sub potentia, quæ ab actu distinguitur: hæc enim non est in Deo nisi nostro modo intelligendi ab actu spirandi distincta. Quod si ratione illius virtutis nunc distinguitur, ratione illius etiam habet oppositionem, quod non contendimus: filiatio autem, ut filiatio est; & ut est proprietas filij ratione sui non habet oppositionem: ergo cum hi à communi modo distcedere volunt, in illum recedere coguntur: & cum reliquis Thomistis fateri, filium non filiatio, sed spiratione etiam nunc distinguere: atque adeo non esse idem principium constitutens, & distinguens: ergo alio modo argumeto respondendum est.

Tertio, quia filiatio nec est ipsa potentia spirandi formaliter, nec conditio voluntatis, ut ea constituat sub ratione potentie, spirandi, sicut ostendimus disp. 164. ca. 3. ergo secundum se non habet nunc rationem peculiarem, ob quam distinguat filium à Spiritu sancto, quam non haberet si Spiritus sanctus à filio non procederet: quare per locum intrinsecum non sequitur, fore aliam filiatioem, ut filiatio est, si in filio non esset potentia spirandi: Quarto quia præsens questio procedit, supposito quod idem filius qui nunc est, & spirat, non spiraret, sicut Græci supponunt, maneret tamen idem filius; an scilicet haberet principium sufficiens, quo distingueretur à Spiritu sancto, reiecta solum eadem filiatio, ut ita inuestigamus, rationem formalem distinctionis. Utilem autem esse hæc questionem ex suppositione impassibili, iam satis in 1. c. ostensum est.

Quare respondeo, maiorem propositionem esse veram de omni principio constitutente aliquid reipsa: hoc enim constituit in ratione entis indistincti à se, & realiter distincti à quouis alio, quod eo principio non constituitur. Sicut homo sua forma distinguitur realiter ab equo, & ab aliis, qui ea non constituuntur: at eo principio, quo res constituitur secundum rationem tantum certe non

T

opropo-

Aliorum
responsio.

34.

Hæc responsio
multipliciter
refutatur.

35.

Vera argu-
menti solutio.

36.

oportet ea distingui realiter à quocūq; alio, quod eo non cōstituitur secundū rationē. Et ita videmus in vna, & cadente duō principia, aut specie, aut etiam genere diuersa, quibus vel diuersę species, vel diuersa genera cōstituuntur: vt in eodem motu actio, & passio, & in aliis eodem modo. In his autem principium specificum aut genericum cōstituit genus, aut speciem, sed non distinguit ea realiter à quocūque alio, quod ipsis non cōstituitur: quia cum sit cōstitutio solum per rationem, satis est si sola ratione distinguat. Quare cum cōstitutio filij Dei per filiationem, sicut etiam aliarum personarum per suas proprietates, non sit cōstitutio realis, sed solum per rationem, non oportet, vt ea proprietate, qua formaliter cōstituitur realiter distinguat à quocūq; alio, quod per illam non cōstituitur. Porro cōstitutionem diuinarum personarum esse solum per rationem nostram, monstrabimus disput. 78. capit. 2. in quo probatur nobis sententia Gregorij, quam cap. 2. huius disputationis retulimus.

Argumentum sane in Schola Scoti vim haberet: ille enim, cum concedat distinctionem ex natura rei inter relationem, & essentiam; cōsequenter docet, esse realem cōstitutionem, seu ex natura rei ex essentia, & persona: hoc autem modo relatio esset principium cōstituens personam ex natura rei: atque adeo haberet simul vim distinguendi realiter. Nos autem, qui dicimus, cōstitui personam sola ratione, concedimus, eo casu, quo Spiritus sanctus à filio non procederet, vtramque relationem filiationis, & processionis in vna persona futuram eandem secundum rem, sola ratione distinguendam; sique vnaquęque relatio illam personam cōstitueret suo modo sub vna ratione, & eam distingueret sola etiam ratione à se ipsa quatenus alia relatione esset cōstituta. Nunc autem ideo dicimus, filiationem esse principium cōstituens personam, non quia per illam etiam distinguitur, sed quia concipitur vt propria vnus personę, quod est de ratione principij cōstituentis. Ideo autem spiratio concipitur vt principium distinguens, quia inde prouenit filio oppositio cum Spiritu sancto, ratione cuius repugnat, eandem esse cum illo personam: re autem ipsa persona filij seipsa est simplicissima, & talis proprietatis, vt simul sit filius generatione procedens, & opponatur Spiritui sancto, ab eoque hac ratione distingatur, quia est principij illius.

Ad primam
& secundam
cōfirmationem
respons.
38.

Ex hac eadem doctrina sequitur, filium spiratione substantialiter distingui secundum personam à Spiritu sancto, non accidentarie: etiam si spiratio nostro modo intelligendi adueniat personę filij iam cōstitutę. Quod enim prius concipiat à nobis cōstitutę filiatione, & nostro modo intelligendi in ratione personę substantialiter completa, non obstat, quo minus spiratio re ipsa sit filio substantialiter, & inde distinctionem substantialem secundum personam habeat; cum reuera sit idem secundum rem omnino indiuiduam cum filiatione. Hęc enim distinctio personalis est secundum rem; & ita debet oriri ex vera reali oppositione, quam habet filius cum Spiritu sancto, ratione spirationis, non ex principio, quod solum nostro modo intelligendi ad cōstitutionem concurrat. Et ex his responderi potest ad primum & secundum, quod in cōfirmationem argumenti afferebatur.

Ad tertiam vero cōfirmationem concedimus fore, vt si Spiritus sanctus à solo filio procederet, nihilominus à patre distingueretur; & pater à filio sola paternitate: non quia id, quod personam cōstituit secundum rationem, eo ipso sufficeret distinguat ab alia, quę illo principio non cōstituit; sed quia pater cum Spiritu sancto ratione paternitatis haberet aliquam oppositionem, scilicet remotam, quę satis esset, vt omnino repugnaret esse eandem personam cum Spiritu sancto. Oppositio vero remota in eo cōsisteret, & nunc etiam est, vt cum pater, quę patet, sit principium filij, & filius sit principium Spiritus sancti; necessario etiam pater debeat esse principium remotum eiusdem Spiritus sancti. Quod enim est principium principij, est etiam principium eius, quod ex illo secundo principio oritur: omninoque repugnat esse idem cum aliquo, quod est à principio, & esse causam ipsius principij; sicut enim aliquid esset causa sui principij.

Cum igitur pater, & filius realiter distinguantur à Spiritu sancto spiratione communi, quę Spiritui sancto opponitur; diuerso tamen modo se habent: quia filius sola spiratione differt: at pater paternitate etiam distinguitur; hoc est, filius, quia spirat solum, pater autem hoc ipso, quod spirat & generat, distinguitur à Spiritu sancto. Quare vltimo obseruandum est id, quod Ferrariensis admodum obseruandum est id, quod Ferrariensis admodum, nempe, hanc esse veram propositionem, *Filiatio distinguit Filium à Spiritu sancto*: quia aliquo modo saltem ratione distinguit; hoc est, ex parte filiationis non est maior distinctio, quam rationis sicut, si à filio Spiritus non procederet. Hęc tamen propositio non debet concedi, *Filiatio distinguit Filium realiter à Spiritu sancto*.

Ad posteriorem rationem desumptam ex emanationibus iam satis dictum est cap. 6. huius disput. eo scilicet casu, quo Spiritus non procederet à filio, non futuras duas emanationes secundum rem, sicut nec duas relationes produci, nec duas personas; eandem enim esse vtramque relationem, ibidem monstrauimus. Qui autem facile Scoto concedunt, duas tunc futuras emanationes; vix defendere possunt, non futuras etiam duas personas, sicut eo loco obseruauimus.

CAPVT VIII

Corollaria precedentis doctrinæ.

Cum filio in filio nunc realiter differat à processione, quę in Spiritu sancto, superest, vt explicemus, vnde eius distinctio proueniat. Canariensis in hunc artic. putat, distingui ratione suę originis, sed cum æqua ratio sit relationis, & suę originis, hęc enim nihil aliud est, quam relatio in fieri, & via; atque ostensum sit, filiationem ratione sui non distingui à processione; sit, vt nec ratione suę originis distingui possit: alioqui etiam filius Spiritus sanctus à filio non procederet, ratione suę originis, quę tunc eodem modo maneret, ab eo distingueretur. Quare dicendum est, ex precedenti doctrina filiationem à processione distingui, oppositōne solum coniunctę sibi relationis distinguendi, quę solum filius à Spiritu sancto distinguitur. Impossibile namque est, filium, qui spirat Spiritum sanctum, ab eo non distingui, ac potius de necesse est filiationem, quę est proprietatis huius personę, eo quod sit in spirante, à processione distingui.

Verum obiciat aliquis, essentia etiam diuina coniuncta est spirationi actiua; non tamen distinguitur realiter à processione, quæ est in Spiritu sancto. Respondeo diuersam esse rationem: nam essentia coniungitur, sicut quid commune ipsis relationibus oppositis, & ideo cum omnibus, quibus coniungitur omnino idem est, secundum rem: at filiatione coniungitur spirationi solum sicut aliquid peculiare illius personæ spirantis: intelligi autem non potest aliquid esse peculiare personæ, quæ alteri opponitur, quod ab ea non distinguitur. Si enim persona distinguitur, id etiam, quod ei peculiare est, distinguetur.

Deinde examinandum est, quare S. Tho. dixerit in hoc art. relationibus, quæ sunt in patre, non constitui distinctas personas: quia non sunt oppositæ: id enim videtur falsum; ut ait Caietan. Tum, quia filiatione, & processio constituunt diuersas personas, nimirum filium, & Spiritum sanctum; & tamen non sunt relationes oppositæ. Tum etiam, quia si negatio est causa negationis, affirmatio debet esse causa affirmationis: ergo si illæ quæ non sunt oppositæ, non constituunt distinctas personas; consequitur oppositis relationibus semper constitui diuersas, quod est absurdum num spiratio, & processio opponuntur, & tamen spiratio nullam constituit personam.

Respondet bene Caiet. pro eodem usurpari à S. Tho. hoc, quod est constituere diuersas personas, & eas distinguere. Nam data opera dixit, Relationibus, quæ non opponuntur, non constitui distinctas personas: ac sic diceret, relationes, quæ non opponuntur, non distinguunt personas. Et in hoc sensu recte dicitur, spiratione, & processione distinctas constitui personas, hoc est, distinguui. Quare eodem sensu nemo dicere potest, filiatione constituit diuersam personam à Spiritu sancto quia filiatione nulla persona distinguitur à Spiritu sancto. Et hinc patet solutio objectionum contra S. Thom. adductarum. Eodem sensu dixit S. Thom. infra qu. 40. art. 2. in hæc verba, Sed oportet quod ipsa distinctione constituant rei distinctas; hoc est, faciant esse distinctas. Cum vero ait qu. 33. art. 2. nomen proprium cuiuslibet personæ significare id, per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis, unde colligat, nomen, Pater, esse proprium primæ personæ, non loquitur de principio distinctionis realis, sed distinctionis etiam quasi speciei: huiusmodi est filiatione in filio, tamen illa non proveniat realis distinctione.

DISPUT. CXLVIII.

Vnde diuinis emanationibus distinctio realis proveniat.

Varia Scholasticorum opiniones. cap. 1.

Verior sententia: Hæc due emanationes solæ oppositione, quam habent ratione adiunctæ, realiter distinguuntur, cap. 2.

CAP. I.

Varia Scholasticorum opiniones.

Contrauersia proposita non est de processione diuinis actiuis, & passiuis simul, qua videlicet ratione distinguatur inter se, si actiuis passiuæ comparentur: ex præcedenti namque disput. manifestum est, eodem modo distinguui, atque re-

Vasquez in 1. part. Tom. 2.

lationes, & personas, sola nempe relatiua oppositiones. Etenim relatio ab origine hoc differt, quod illa est forma, quasi in facto esse, ut paternitas: origo autem est ipsamet forma in fieri, sicut generatio: hæc enim est ipsamet paternitas, quasi in via. Quæstio igitur est de processione passiuis secum collatis. Cum enim certum sit realiter differre, superest, ut explicemus, unde earum distinctio proveniat. Et quamuis ex dictis in præcedenti disp. nullo negotio respondere posset, quia tamen etiam in hac re variæ Scholasticorum sententia non defuerit, necesse fuit peculiarem de ea disputationem instituere.

Scotus in 1. disp. 13. q. 1. nonnullas recenset opiniones. Prima est Agidij, eadem distinctione art. 2. de sententia. videlicet distinguui origines per terminos, sicut Scot. motus in vniuersum per terminos discernuntur. Eam sententiam amplexus est Ferrariensis 4. contra Ferrar. gent. 6. 24. circa finem. Scotus tamen hac ratione illam impugnat, Origines non habent esse per terminos, sed potius contra: ergo non distinguuntur per terminos, sed potius terminantur per origines.

Respondet Ferrariensis, sicut motus habet esse per terminum, eo quod ab eo speciem sumit; ita & origo: eadem namque ratio utrobique esse videtur. Vtrum cum modo quæstio non sit de distinctione specifica, sed de reali; & motus à termino solum videatur accipere speciem, hoc est, ex ordine, quem habet ad terminum specificetur: hæc solutio non satisfacit. De distinctione autem specifica harum processionum iam diximus disp. 113. An vero hæc opinio Agidij, quod ad præsens attinet institutum, probabilitatem aliquam habeat, infra videbitur.

Secunda sententia est Henrici in summa art. 37. q. 7. Secunda quam etiam Scotus commemorat, nempe emanationes realiter differre, quia principia illarum formaliter differunt. Ceterum cum formalis distinctio sit minor, quam realis, optime infert Scotus contra Henricum, eam non posse esse causam distinctionis realis inter processiones. Eandem sententiam secutus est idem Henricus quodlibet 6. q. 1. ubi asserit, emanationes distinguui propter distinctionem rationis inter principia. Nam quamuis has duas sententias Scotus referat tanquam diuersas; quia tamen Henricus nusquam docuit esse distinctionem formalem ex natura rei inter attributa inter se, aut inter principia emanationum. Sed solum distinctionem rationis; distinctio quoque non est Henricus, etiam si cum appellet formalem, non est, quæ Scotus excogitauit ex natura rei medianter realitatem, & rationis, ut vidimus disp. 126. ca. 3. Henrici autem sententia hoc modo intellecta multo facilius refelli potest. Nam distinctio rationis multo minus, quæ formalis, quæ est ex natura rei, potest esse causa distinctionis realis inter personas. Tum quia hæc multo inferior est distinctio, ne quacumque ex natura rei: tum etiam, quia hæc habet ordinem ad intellectum creatum, siquidem per intellectum diuinum fieri nequit, ut disp. 118. capit. 2. monstratum est: at nulla processio diuinæ personæ pender ex creatura aliqua, etiam possibili, ut vidimus disputation. 143. capit. 3. & sequentibus ergo illa distinctio non potest esse causa distinguendi emanationes. Aliam opinionem refert Scotus ibidem ex Adamo Godamo in 1. distinct. 6. Scot. q. 1. a. 2. quæ sane eodem recidit, atque eodem modo refutanda est.